

tegunt; Nam eo usque studium placendi tantum concedimus, quousque cum Honestatis legibus non pugnat.

32.

Sed nunc (2) *etiam videndum est; qua ratione nosmet ipsi ad Fortunam & Desideriorum Complementum debeamus concurrere*, qui hactenus, quid aliorum ad Fortunam nostram Benevolentia valeat, consideravimus. Fieri autem id poterit, si actiones ad Fortunam consequendam directas prudenter instituamus, quod quadruplici viâ videtur procedere: si (1.) *omnia agamus Tectè.* (2) *Successive.* (3) *Opportunè.* (4) *Circumspectè.*

33.

(1) *Tectè* agendum esse diximus, cum nemo de aliorum favore tam certus esse queat, quin cavendum simul sibi habeat ab inimicis, qui omnes actiones summo studio observant, conatibusq; remoram injicere quærunt. Ne igitur his telis feriamur, vulgare illud nobis commendatum habeamus:

*Dissimula; simula; quoties occasio poscit.*

*Dissimulatio* consistit in actu negativo, quando id quod agimus, videmur non agere. *Simulatio* consistit in actu positivo, quando in eo, quod reipsâ agimus, videmur plane aliud agere. Atque his armis occurrendum est Inimicorum fraudibus, ne nocere Fortunæ valeant. Neq; tamen hic contra Moralitatis leges peccaverimus, licet *Simulatio* & *Dissimulatio* tacitum includere videantur *Mendacium*. Uti enim ne-

C 2

mo